

C O N C I O XXIII.

De Causis Justificationis, &
De Redemptione.

Textus, Rom. III. v. 24. 25. 26.

Ut qui justificentur gratis, id est, ejus Gratiâ, per Redemptionem factam in Jesu Christo: Quem præstituit, ut esset Placamentum, per Fidem, in Sanguine ipsius; ad demonstrationem justitiæ suæ, propter dissimulationem peccatorum, quæ antecesserunt, Deo illa tolerante: &c.

E X O R D I U M.

Υ *ποτύπωσις ὀγκυμνότητων λόγων*, Discipulo suo commendat Paulus,

2. Tim. I. 13. *Expressam formam teneto sanctorum verborum, quos à me audivisti, cum fide & charitate, quæ est in Christo Jesu.*

Sanè, in textu prælecto proponit Apostolus, hypotyposin sanæ doctrinæ, de Justificatione hominis coram Deo; à nobis probè excutiendam.

In præcedenti concione, ex verbis proximè antecedentibus, audivimus,

1. De Justitia Dei, non sua illa essentiali; sed quam Deus homini imputat, quæ etiam appellatur, Justitia Fidei, & Christi:

Fidei, quia verâ fide apprehenditur, & fit nostra;

Christi, quia Christus illam nobis promeruit.

2. Hanc Justitiam revelatam esse, non in Lege, sed Evangelio: itâ tamen, ut testimonio Legis & Prophetarum confirmetur.

3. Quibus hæc Justitia contingat? Omnibus Credentibus: & Omnes salvandos oportere habere hanc Justitiam;

Quia omnes sint peccatores, & deficiantur gloriâ Dei.

Mirandum, Apostolum adeò nihil præterire eorum, quæ pertinent ad doctrinam fundamentalem, de Justificatione hominis coram Deo.

Nunc pergite, atque illam Justitiam declarat, à Causis suis; unde oriatur? nempe, à Gratia Dei, & Redemptione Christi.

Deinde, assumit Redemptionem factam in Jesu Christo, illamque uberiùs declarat, variis modis.

Quæ omnia si diligenter cum Paulo, & ex Paulo, consideremus, non parùm in doctrina salutari Justificationis proficiemus, & errores circa illam facillè declinabimus.